

SECUNDA PARS CAPITIS

Parricidium & pœna Kain.

- 3 Fuit autem in fine dierum ut Kain adduceret de fructu terræ oblationem Iehouæ.
 4 Hebel autem adduxit etiam ipse de primogenitis ouium suarum, & de adipe eorum. Respexit vero Iehoua ad Hebel, & ad sacrificium eius.
 5 Ad Kain vero & ad sacrificium eius non respexit. Ideo doluit Kain valde: conciditq; vultus eius;
 6 Et dixit Iehoua ad Kain: Quareira est tibi? & quare concidit vultus tuus?
 7 Nonne si benefeceris, erit acceptatio? si autem non bene, ad ostium peccatum cubat: ad te vero erit appetitus eius, & tu dominaris ei.
 8 Tunc locutus est Kain ad fratrem suum:
 Fuit autem cum essent in agro; insurrexit Kain in Abel fratrem suum, & occidit eum.
 9 Et dixit Iehoua ad Kain: vbi est Hebel frater tuus? qui respondit; nescio, nunquid custos fratris mei ego?
 10 Respondet vero Iehoua, quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.
 11 Nunc igitur maledictus tu es to à terra, quæ aperuit os suum, vt susciperet sanguinem fratris tui è manu tua.
 12 Quando coles terram, non reddet vltra fructum (Hebr. robur) suum tibi: vagus & profugus eris in terra.
 13 Tunc dixit Kain ad Iehouam: Maior est iniquitas mea, quam vt remittatur.
 14 Ecce expellis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus ac profugus in terra, & erit, omnis qui inueniet me, occidet me.
 15 Dixit vero ei Iehoua: imo quisquis occiderit Kain, septuplum vindicabitur. Ideo posuit Iehoua signum in Kain, ne percuteret eum ullus, qui inuenisset illum.
 16 Egressus est itaque Kain à facie Iehouæ & habitavit in terra Ned ad orientem Eden.

EXPLANATIO.

FVIT AVTEM IN FINE DIERVM: A Sequitur parricidium Kain: præmititur ἀπορητική, qua irritatus fratrem odisse cœpit, vt interficeret. Ea fuit pietas fratris, & Dei benevolentia in ipsum circa sacrificia. Sic impij rebus bonis offensi redduntur deteriores sua malitia: oderūt & persequuntur pios fidei causa, quia eis gratiam Dei inuident, quam ipsi tamen conculant. Hic primus παρεξενός inter pios & impios à Satana olim excitatius circa fidem & sacrificia durat in hunc diem. Hæc summa.

Circumstantia huius partis sunt.

I. Oblatio fratrum. ver. 3. 4.

II. Approbatio divina viaus, reprobatio alterius. ver. 4. 5.

III. Indignatio reprobri. v. 5.

IV. Eiusdem reprehensio. versicul.

6. 7.

V. Simulata pœnitentia. v. 7.

VI. Parricidium. ibid.

VII. Pœna parricidæ. versic. 9. 10.

11. 12.

VIII. Desperatio eiusdem. versic.

13. 14.

IX. Solatium desperantis. v. 15.

X. Exilium Kain. v. 16.

BIN FINE DIERVM. Hebr. à fine dierum. Onkel, Post aliquot dies, LXX. μετ' ιπέρεγος. Vulg. post multos dies. Sensus est; post annos aliquot. Sicut Nehe. 13. 6. In fine dierum postulauit à rege. Tempus indefinite notatur. Vterque videtur tunc adiultus, distinctum habuisse domicilium & facultates, vnde offerret. Ni si dicere

T r 2 malimus,